



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,  
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1679**

Chronicon Savigniacense.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14735**

Anno Domini ML. pridie Kalendas Augusti obiit dictus Guifredus.

Selva primus Abbas præfuit annis xxx.

Guillermus Abbas annis v.

Miro annis xv.

Benardus annis viii.

Petrus Ermengaudi annis viii.

Petrus Iuniarij annis xxxiii.

Raymundus Valle de Crassa annis xix.

Berengarius de Crassa annis v.

Raymundus sacrista Rivipullensis annis xi.

Geraldus frater ejus annis iv.

Petrus annis xxxiii.

### CHRONICON SAVIGNIACENSE

**A**Nno Domini M C X I I. beatus Vitalis eremita, optimus seminiverbius, in confinio Normanniæ & minoris Britanniae ædificavit monasterium istud, quod dicitur Savigniacum. Hic beatus vir modernas institutiones in aliquibus Cisterciensibus similes monachis suis imposuit, virtutibus & miraculis claruit. Inter alia multa quendam militem mortuum populo præsentem suis sanctis precibus resuscitavit. In dicto monasterio, quod ipse fundaverat, primus Abbas ordinatus, rexit abbatiam annis decem, & anno Domini M C X X I I. gloriose migravit ad Dominum. Huic successit beatus Gaufridus Bajocensis monachus, vir admodum literatus, & in religione fervens, generis nobilitate pollens, sed vitæ sanctitate excellens. Hic multa monasteria ædificavit, & consuetudines prioribus altiores Savigniacensibus imposuit. Qui abbatiae Savigniacensi præfuit annis xvi. & anno Domini M C X X V I I I. Domino reddidit spiritum. Cui post

Enavum Anglicum, qui parvo tempore eidem monasterio præfuit, successit venerabilis Serlo de valle Badonis juxta Bajocas, qui fuerat prædicti Gaufridi in seculo discipulus, & monachatum prius suscepit cum eo in monasterio Cerasiensi, sed relicto illo monasterio, pro majori religione Savignieum expetierat. Hic quia pro velle suo non ei obtemperaverant monasteria sibi subdita, Cisterciensi ordini se dedit, in manus videlicet beati Bernardi tunc temporis Abbatis Clarevallensis. Et in continenti concessus est ei prioratus omnium Abbatum ordinis per Dominum Cisterciensem & quatuor primos Abbates. Dicitur verò Serlo Abbas quietem contemplationis desiderans, post conversionem domus Savigniacensis quinque annis tantummodo abbatizavit, & anno Domini MCLIII. cessit & apud Claramvallem remansit. Et tunc creatus est in Abbatem Savigniacensem Ricardus de Corceio ejusdem monasterij Prior, vir prudens & discretus, ac magnæ honestatis; qui per quinque annos abbatizavit, & jura Ecclesiæ Savigniacensis toto suo tempore constanter defendit. Anno verò Domini MCLVIII. Dominus Serlo quondam Abbas Savigniacensis apud Claramvallem diem clausit extremum. Eodem verò anno Abbas Savigniacensis Ricardus cessit, nullam prætendens causam nisi suam insufficientiam, tamquam vir humilis & valde timoratus. Alexander verò monachus Clarevallensis, qui prius fuerat Abbas Grandissilvæ, dicto Abbati Ricardo successit, quem conventus Savigniacensis de consilio Abbatis Clarevallensis Fastredi elegerat, & tribus annis abbatizavit. Post quem apud Savigniacum creatus in Abbatem Ioslenus, vir sapiens & religiosus, & XVI. annis abbatizavit. Hujus tempore, videlicet anno Domini MCLXXIII. beatus Haino migravit ad Dominum, & nova Ecclesia Savigniacensis incepta

est. Anno verò Domini MCLXXVIII. Abbas Iosle-  
 nus post capitulum generale cessit, & apud Savig-  
 niacum remansit humilis & quietus & religionis  
 amator. Eodem verò anno quo cessit, miserat con-  
 ventum ad abbatiam Barberij. Eodem verò anno ele-  
 ctus est & promotus in Abbatem vir vitæ venerabi-  
 lis & literaturæ eminentis Guillelmus de Tolosa  
 de villa Cadomi oriundus. Et anno Domini MCLXXIX.  
 electus est idem Guillelmus in Abbatem Cisterci-  
 sem, ubi diem clausit extremum. Cui successit apud  
 Savigniacum Dominus Simon genere valde nobilis,  
 sed sanctitatis prærogativa nobilior. Quapropter  
 Deo gratus habebatur & penes homines reverendus  
 & laude dignus. Abbas verò Simon domum Savig-  
 nei rexit per quinque annos, & infirmitatis causa,  
 cæcitatæ videlicet oculorum, cessit, & apud Sa-  
 vigniacum remansit, ibique sanctissimam vitam du-  
 xit usque ad mortem. Cui successit Abbas Girardus,  
 vir bonus & Deum timens, & per unum tantum an-  
 num abbatizavit. Post Abbatem Girardum creatus  
 est in Abbatem vir religiosus & in temporalibus  
 strenuissimus Guillelmus de Dobra, & per XXI. an-  
 num abbatizavit, sicque diem clausit extremum. Cui  
 successit vir bene litteratus, honestus, & religione  
 fervens, Radulfus quondam Archidiaconus Bajo-  
 censis, qui per XIV. annos abbatizavit. Huic suc-  
 cessit Abbas Rogerus, qui per quinque annos præ-  
 fuit. Huic verò viam universæ carnis ingresso suc-  
 cessit vir devotus, magnæ maturitatis & religionis,  
 Lucas Bajocensis, & per tres annos abbatizavit, &  
 anno Domini MCCXXIX. in die ascensionis Domini  
 cessit. Huic successit & eodem die est electus vene-  
 rabilis pater Dominus Stephanus de Lixinthonia Ab-  
 bas de Stanleia, vir doctrina & scientia præditus.  
 Hic multa bona tam in hac domo quàm in tota ge-  
 neratione fecit, fervorem religionis ibidem amplius

excitavit, conventum Savigniacensem usque ad quadraginta monachos & eo amplius augmentavit, ipsam abbatiam multis ædificiis decoravit. Hic bonus vir, undique circumspectus, corpora sanctorum præsentis monasterij, Spiritu sancto edocente, de capella beatæ Katherinæ, ubi multo tempore quieverant, ad majorem Ecclesiam cum multo honore reportavit. Qua occasione Dominus multa & crebra miracula ostendere dignatus est. Facta est autem hæc sanctorum Savigniacensium reportatio prima die mensis Maij anno gratiæ MCCXLIII. Eidem verò Abbati à capitulo generali, eodem tempore quo dictam rexit abbatiam, concessum est ut ante corpora dictorum sanctorum de oblationibus fidelium continuè ardeat luminare. Insuper & in dicta Ecclesia Savigniacensi duas lampades pro satisfactione cujusdam Militis, qui enormiter dictam læsit Ecclesiam, & tertiam lampadem ante altare in quo cantatur Missa cotidiana de beata virgine Maria, in cujus honore consecratum est dictum altare, de eleemosyna cujusdam Canonici Abrincensis, qui ad hoc specialiter dedit, eidem Abbati concessum est ardere die ac nocte à capitulo generali. Necnon & aliam lampadem eodem tantummodo tempore quo Conventus est ad Matutinas, ante ostium dormitorij, eidem permissum est ardere de eleemosyna cujusdam amici præfatæ abbatiae sacerdotis. Memoratus autem pater cum strenuè domum Savigniacensem annis XIV. gubernasset, in solemnitate beati Nicolai hyemalis electus est in Abbatem Clarevallensem. Et eodem anno in Cathedra beati Petri electus est in Abbatem Savigniacensem Dominus Stephanus de Castro Duni Abbas Bellibecci, qui fuerat quondam Decanus Rothomagensis, vir admodum litteratus, & religionis amator strenuissimus.

Anno Domini M C X X I I. obiit pater noster Dominus Vitalis Abbas & fundator hujus sacri cœnobij XVI. Kalendas Octobris.

Anno Domini M C X X V I I I. Redonis civitas cum suburbanis omnibus penè penitus conflagravit.

Anno Domini M C X X X I I I. eclipfis solis IV. Non. Augusti.

Anno Domini M C X X X V. obiit Henricus Rex Anglorum & Dominus Normannorum. Cui successit Stephanus nepos ejus, qui tunc Comes Moretonij & Boloniæ erat.

Anno Domini M C X X X V I I I. obiit Domnus Gaufridus hujus loci Abbas secundus V I I I. Idus Iulij.

Anno Domini M C X L I. IV. Nonas Februarij captus est Stephanus Rex à Roberto Comite Glocestriæ, itemque liberatus à burgensibus Londoniæ.

Anno Domini M C X L V I I. Lodovicus Rex Francorum pergit Ierusalimam.

Anno Domini M C L I. mense Septembri obiit Gaufridus Dominus Normannorum & Consul Andegavorum.

Anno Domini M C L I I I. obiit Eugenius Papa III.

Anno Domini M C L I V. mense Novembri obiit Stephanus. Succedit filius filia Henricus nepos Henrici primi.

Anno Domini M C L V. obiit Anastasius Papa.

Anno Domini M C L V I I I. obiit apud Claramvallem v. Idus Septembris Domnus Serlo, qui fuerat Abbas Savigneij, vir vita & sermone atque scripturarum scientia conspicuus.

Anno Domini M C L X X I. occisus est sanctus Thomas.

Anno Domini M C L X X I I. facta est concordia de morte sancti Thomæ.

Anno Domini M C L X X I I I. II. Kal. Maij obiit Domnus Haino de Landachop.

Tres filij Henrici Regis consilio Alienor matris suæ recesserunt ab eo & adhæserunt Regi Gallia.

Facta est secunda ..... Filgeriarum à Rege

Henrico, & Radulphus de Filgeriis & multi nobiles  
..... doli capti sunt.

Hoc anno mortuus est Robertus de Vitreio tertius  
in festo hyemali sancti Martini.

Eodem anno cœperunt ædificare novam Ecclesiam  
de Savigneio Ioslenus Abbas & monachi.

Anno Domini MCLXXVIII. rigor algoris & ni-  
vium arbuta & annosas vites perussit.

Anno Domini MCLXXIX. Philippus Rex Fran-  
corum coronatus est vivente & incolumi Rege Lo-  
dovico patre suo.

Anno Domini MCLXXXI. v. Kal. Iunij dedicata  
est basilica sanctæ Katerinæ à Domno Ricardo A-  
brincensi Episcopo.

Anno Domini MCLXXXIV. IV. Kalendas Maias  
egressus est conventus de Savigneio ad inhabitandam  
abbatiam de Bona requie, tempore Domni Simonis  
Abbatis.

Anno Domini MCLXXXVII. Rex Ierusalem cum  
cruce dominica captus est, & terra tradita in manus  
impiorum.

Hoc anno accepit crucem Ricardus Comes Picta-  
vensis.

Obit Vvilelmus filius Radulphi Filgeriarum VII.  
Idus Iunij.

Anno Domini MCLXXXVIII. cruce signati sunt  
Philippus Rex Francorum & Henricus Rex Angliæ  
cum multitudine maxima virorum.

Anno Domini MCLXXXIX. obiit Henricus Rex  
Angliæ Octavis Apostolorum Petri & Pauli, & se-  
pultus est apud Fronteval. Cui successit Ricardus  
filius ejus.

Anno Domini MCXC. perrexerunt Reges Fran-  
ciæ & Angliæ Philippus & Ricardus Ierosolimam  
cum maxima multitudine nobilium utriusque regni.

Anno Domini MCXCI. eclypsis solis facta est in  
vigilia sancti Iohannis Baptistæ.

Obiit Vvillhelmus Burellus senior Abrincensis Episcopus.

Anno Domini M C X C I V. obiit Radulphus de Filgeriis apud Savigneium x v I I. Kalendas Iulij.

Anno Domini M C X C I X. obiit Ricardus Rex Angliæ Idibus Aprilis. Cui successit Iohannes frater ejus.

Anno Domini M C C. Rex Iohannes duxit in uxorem filiam Comitis de Engolesme.

Conventus Savigneij in Ecclesiam novam in die Assumptionis beatæ Mariæ primò intravit.

Anno Domini M C C I. Rex Iohannes cum Philippo Rege Francorum fœdus pacis iniit; cum Ludovico ejusdem Philippi filio neptem suam parvi Regis Hyberia filiam dedit in uxorem, & cum ea dedit ei in matrimonio civitatem Ebroicarum cum diocesi sua castraque & villas & terras quas idem Philippus Regi Ricardo jure belli abstulerat. Rupto pacis fœdere, guerra inter eos oritur. Philippus vastat Normanniam, castrum Archarum obsidet, Arturum Ducem Britonum destinat in Pictaviam: qui apud castrum Mirabel aviam suam obsidens, à Iohanne patruo suo Rege Angliæ cum toto exercitu captus est. A Iohanne Barones sui se dolosè, alij apertè, alij clam, subtrahunt, & sub juramento Regi Philippo se astringunt. Arturus arctæ custodiæ mancipatur, & modus sui exitus ignoratur. Iohanne moram faciente in Anglia, Philippus Falesiam obsedit, quæ sponte se illius subjugat ditioni. Alij se subdunt, alij reliquerunt inducias; & non impetrato à Iohanne subsidio, Regi Philippo tota Normannia subdita famulatur.

Anno Domini M C C X. obiit Vvillhelmus Abrincensis Episcopus cognomento Tolomeus. Cui successit Vvillhelmus Burellus junior: cujus cum crevit dignitas, crevit & probitas.

Obiit Andreas dominus Vitreij, filius Roberti junioris, v. Idus Iunij.

*Hæc per plures annos gesta.*



Anno Domini MCCXII. facta est commotio puerorum per totam ferè Galliam à Vvindonico castro & deinceps percurrentium & per plurima castra vagantium & dicentium se Deum quærere; nec potuerunt cohiberi donec fame urgente ad propria remearunt.

Commisum est prælium gravissimum inter Christianos & Sarracenos in Hispania. Sed operante Christo à paucis Christianis multi pagani superati sunt. Et quod memoria dignissimum est, in eodem prælio Dominus noster cuidam militi manifestè apparuisse asseritur.

Vide supra  
pag. 251.

Obiit Gaufridus dominus Filgeriarum filius Vvillielmi & filius Agathæ filia Vvillielmi de Humeto xviii. Kalendas Iulij.

Obiit Vvillielmus de Filgeriis filius Henrici xii. Kalendas Ianuarij.

Obiit Alanus Comes de Goilou filius Henrici Comitidis Kalendis Ianuarij.

Anno MCCXIII. Philippus Rex Francorum potentissimus coactis penè totius regni sui viribus cum ingenti exercitu profectus est in Flandriam, ut inde transfretaret in Angliam. Cùmque idem Philippus classem plurimam in portu qui dicitur Damcoadunasset, Iohannes Rex Angliæ consilio Reginaldi Comitidis Boloniensis missis multis armatorum millibus in mioparonibus penè totam classem illam diripuit. Ex quo casu Rex Francorum turbatus, infecto negotio reversus est.

Anno MCCXIV. Iohannes Rex Angliæ cum paucis venit in Piëtavia adversùs Regem Franciæ; sed parum proficiens, treugas cepit per quinquennium. Capti sunt à Philippo Rege Francorum tres Comites, Boloniensis, Flandrensis, Salesberiensis.

Magister Robertus de Corcone sedis apostolicæ Legatus venit in Franciam gratia cruce signandi.

Eodem anno Iohannes Rex Angliæ crucifignatus est in capite jejunij, & cum eo Rannulfus Comes Cestriæ, & multi alij.

Anno Domini MCCXV. Innocentius Papa III. celebravit Concilium in Ecclesia Lateranensi quantum nunquam fuit antea celebratum; in quo convenerunt excellentiores & litteratiores personæ ecclesiasticæ totius Christianitatis, ut orbis in urbe contineri videretur.

Hoc anno Vvillhelmus de sancto Bricio Miles, necio corpore an animo præstantior, obiit Andegavis in translatione sancti Martini; inde delatus Savignium, cum antecessoribus suis sepultus est.

Comites & Barones penè totius Angliæ insurrexerunt in Iohannem Regem suum.

Anno MCCXVI. obiit Iohannes Rex Angliæ, filius Henrici junioris, xv. Kal. Novembris.

Anno Domini MCCXX. obiit Iuhellus de Meduana VI. Nonas Maij.

Obiit Domina Isabel mater ejus.

In hoc anno fuit dedicatio Ecclesiæ sanctæ Trinitatis sanctæque Mariæ de Savignio. Facta fuit à quinque Episcopis & à populo innumerabili in devotione sancta, sexto Idus Maij. Illis autem qui infra octavas dedicationis causa peregrinationis venient ad Ecclesiam Savigneij, Episcopi suprascripti indulserunt in remissionem peccatorum quadraginta dies de injecta pœnitentia. Et hoc confirmavit Robertus Rothomagensis Archiepiscopus quantum ad provinciam suam.

Anno Domini MCCXXVI. obiit Amalricus de Creon Senescallus Angliæ.

Anno Domini MCCXXIX. III. Kal. Iunij satisfivit Radulphum Filgeriarum Dominum & heredem de terra sua Petrus Comes Britannia. Et quia idem Radulphus infra annos erat, ipse primò de novem

milibus librarum Turonensium prædicto Petro Comiti satisfecit ad unguem.

Anno gratiæ MCCXXX. quinto, in vigilia omnium sanctorum, Ludovicus Dei gratia Francorum Rex illustris Radulfum Dominum Filgeriarum cingulo militiæ fullimavit. Eodem anno, die sancti Nicolai, peperit Isabella uxor dicti Radulphi filium nomine Iohannem. Eodem die quo natus est, statim baptizatus est, & migravit ad Dominum.

Anno gratiæ MCCXXX. sexto, in festo sanctorum Simonis & Iudæ Apostolorum, bonæ memoriæ Vvillelmus quondam Abrincensis Episcopus migravit ad Dominum apud Abrincas. In crastino cum multo honore est delatus Savigniacum, & ibidem die tertia est sepultus.

Eodem anno, in crastino octavarum beati Andreae Apostoli, magister Vvillelmus de sanctæ Mariæ Ecclesia, Abrincensis Ecclesiæ tunc Decanus, divino nutu ad eandem Ecclesiam in Episcopum est electus.

Anno gratiæ MCCXXXVIII. obiit Iohanna uxor Amalrici de Creon IV. Kal. Octobris.

Anno Domini MCCXLI. VII. Kalendas Ianuarij obiit Guetenton de Virreio Miles, & sepultus in Capella sanctæ Katerinæ.

Eodem anno, XVI. Kalendas Februarij, obiit Nicolaus Avenel Miles Dominus de Chalandreio, & sepultus in claustro sanctæ Katerinæ versùs infirmatorium.

Anno Domini MCCXLI. in die Epiphaniæ, circa auroram diei, obiit Petrus de sancto Severo monachus & confessor Savigniacensis, vir vitæ laudabilis & mirè contemplativus. Hora qua cantabatur *versus Cali aperti sunt super eum* intravit Ecclesiam.

Eodem anno, Idibus Octobris obiit Philippus de Meauter monachus Savigniacensis, vir valde religiosus & compositus.

Eodem anno, Nonis Novembris, obiit Maria uxor Lupilli Militis & Castellani Domnifrontis.

Anno Domini MCCXLIX. obiit Hugo de Baseliis Miles xviii. Kal. Maij, & sepultus iuxta matrem suam in clauastro ante Capitulum.

Anno gratiæ MCCLV. Kal. Septembris obiit Robertus le Gendre noster benefactor, & requiescit in clauastro sanctæ Katherinæ.

Anno Domini MCCLII. XIII. Kal. Martij magister Vvillelmus de sanctæ Mariæ Ecclesia Episcopus Abrincensis migravit à seculo, vir admodum litteratus & timens Deum necnon & religionis amator. Magister Ricardus dictus Laneus Canonicus Abrincensis, qui tunc erat Romæ, canonicè electus est, & à Domino Papa Innocentio consecratus Episcopus Abrincensis.

Eodem anno obiit Theophania filia Vvillelmi le Gendre, quæ jacet iuxta fratrem suum in clauastro sanctæ Katerinæ. Quæ obiit xvi. Kal. Martij.

Anno Domini MCCLIII. IV. Kal. Februarij Hugues Comes Marchiæ desponsavit Iohannam unicam filiam Radulfi Domini Filgeriarum in dicto castro, præsentem venerabili patre Stephano tunc Abbate Savigniacensi, qui officium illius sacramenti solemniter celebravit, & multis aliis nobilibus utriusque sexus.

Anno Domini MCCLVI. die Veneris in feriatis Paschæ receptus fuit illustris Rex Franciæ Ludovicus apud Savigniacum cum honore magno; & ibidem die illo pernoctavit cum magno exercitu, & comedit in refectorio cum Conventu. Et in diebus illis plurima monasteria in Normania visitavit, & pannos plurimos olofericos eisdem obtulit. Necnon & multas eleemosynas in eadem provincia fecit.

Eodem anno, vi. Kal. Martij, obiit Radulphus Dominus Filgeriarum, filius Gaufridi Domini Filgeriarum;

geriarum; & in crastino sepultus est ante Capitulum Savigniacense juxta patrem suum.

Anno gratiæ M C C L V I I. in vigilia dominicæ annuntiationis nata est Yolent filia primogenita Hugonis Comitis Marchiæ & Engolismæ de uxore sua Iohanna filia unica Radulphi Domini Filgeriarum.

Eodem anno obiit magister Gaufridus de Maieto Episcopus Sagiensis, & sepultus est in Ecclesia sancti Andree de Goferno Cisterciensis ordinis coram majori altari.

Anno Domini M C C L V I I I. obiit Matildis Comitissa Bononiæ. Comitatus devenit in manu Regis.

Eodem anno, I I I. Nonas Ianuarij, hora matutinali, paries quidam in abbacia sancti Dionysij in Francia cecidit in Ecclesia & duodecim monachos suffocavit.

Eodem anno Dominus Henricus de Lexinthona Lincolniensis Episcopus obiit.

Eodem anno universi fructus terræ, qui fertiles apparebant, perierunt. Nam segetes, vineæ, & arbuta grandine grosso & cornuto sunt percussa. Quæ remanserunt segetes in mediis campis, inundatione pluviarum putruerunt.

Eodem anno obiit magister Guillelmus dictus Rollant Episcopus Cenomanensis apud Iantam civitatem. Corpus ejus delatum fuit ad abbatiam Campaniensem.

Anno Domini M C C L I X. in crastino nativitatis sancti Iohannis Baptistæ natus est Hugues filius primogenitus prædictorum Hugues Comitis Marchiæ & Iohannæ uxoris suæ. [\* & obiit M C C C I I I. in mense Novembri.]

Eodem anno, I I. Nonas Decembris, pax longo antè tempore prolocuta & diutiùs præoptata inter Regem Ludovicum Franciæ & Regem Henricum Angliæ super reclamio Normanniæ & Aquitaniæ

*Hec addita  
sunt à manu  
recentiore.*

tandem facta est apud Parisius, actore pacis & amatore Domino id agente.

Eodem tempore . . . . . primogenitus filius Regis Franciæ mortuus est.

Anno Domini M C C L X. fuit annus bissextilis. In mense verò Aprilis fuit apud nos gelu urens & asperum, atque glacies, flante aquilone. Circa medium ejusdem mensis grando & nix terram cooperuerunt contra naturam temporum, cum in tota hyeme transacta nix visa non fuisset, gelu autem raro.

Anno Domini M C C L X I V. capti sunt à Simone Comite Montisfortis Henricus Rex Angliæ & Houdardus filius suus.

Eodem anno, in vigilia Apostolorum Petri & Pauli, obiit Agatha Domina de Basselliis, & sepulta est in claustro juxta virum suum.

Anno Domini M C C L X X X. sexto, mense Augusto, III. Kal. Septembris, prandente primo Conventu ad cœnam, factus est terræ motus apud Savigniacum absque tonitru, & per totum mundum universaliter, ut credimus. Regnante Philippo Rege Francorum nepote Petri Arragonensis, anno regni sui primo.

Anno Domini M C C C. tertio, prima die Maij, in festo beatorum Apostolorum Philippi & Iacobi, qua die levata fuerunt capita sanctorum Savigniacensium, & reposita circa majus altare, præsentem innumerabili multitudine laicorum, Clericorum, & aliorum prælatorum. Quorum sanctorum reverentia & honore fecit luminare magnum frater Guillelmus dictus Corteis, & professus fuit, & habitum sanctæ religionis cum magna devotione suscepit. Qui prædictus Guillelmus à primævæ juventutis suæ exordio fidelis extitit & irreprehensibilis, & etiam pro negotiis domus hujus ingentibus periculis se exposuit, & mare ad partes Angliæ pluries transfretavit. Qui

per ditos dies plenariè & septimana successivè pittancias duas nobis fecit, & diebus ceteris emendationes condignas. Quicumque verò hanc subscriptionem legerit & . . . . . oret pro eo salvatorem omnium & etiam redemptorem ut in vita ista prædictum G. conservare dignetur & ad vitam perducere sempiternam. Amen.

Anno Domini MCCC. quinto obiit Gaufridus Ecclesiæ Abrincensis Episcopus 11. Kal. Februarij.

Eodem anno abbatizavit primò frater Thomas Morch. de Fulcardimonte, & multùm laboravit contra Comitissam pro Conventu ejus domus.

Anno Domini MCCCCLXXVIII. obsessum fuit castrum Moretonij & alia castra Regis Navarræ per Francigenas, & patria devastata per guerras.

COLLECTIO LOCORVM  
*quorundam insignium consilio omissorum in libro sexto Rerum Sicanicarum Maurolyci Abbatìs, edito Messanæ anno MDLXII.*

**F**olio 190. linea 7. post hac verba, ad templum majus elatum est, adde. tunica, stola, ac manipulo aureis, calciamentis sericis purpuratis, calcibus ex albo serico, bireto ex raso serico albo, corona, sceptro, pomoque, calcaribus quoque aureis, lecticæ aureo textore regiis insignibus quadrifariam picturato contextæ impositum, à Baronibus & Equitibus atratis suffultum. Præibant funus Clerici, monachi, omnesque cruciferi. Canonici donati sunt singuli cerea candela unius rotuli, Presbyteri hujus dimidio, Diacones quadrante, cruces duplo. Deinde in cereorum lumina posito feretro, peractoque funebri officio &c.